

The Electronic *Compendium moralium notabilium* Project  
(<https://compendium-project.wlu.ca/index.html>)

4 quotations attributed to Theophrastus in the *Compendium moralium notabilium*  
(from *Epytoma sapientie*, Venice, 1505)

Pars 2, Liber 3, Rubrica 7: De conuersatione conspectu societate et solitudine (fol.38vb):

Theophrastus in aureolo: tractatu de nuptiis. **Sapiens nunquam solus esse potest: habet secum omnes qui sunt: quique fuerunt vnquam boni: et animum liberum quocunque vult transfert.**

Sapiens autem nunquam solus esse potest. Habet secum omnes qui sunt, qui unquam fuerunt boni, et animum liberum quocumque vult, transfert.

Hieronymus Stridonensis, *Adversus Iovinianum*, 1.47 (PL 23, col.278A).

Pars 4, Liber 6, Rubrica 7: De castitate pudicitia atque impudicitia (fol.115vb):

Theophrastus in aureolo tractatu de nuptiis. **Illa vere pudica est dicenda cui licuit peccare: sed noluit.**

Infida enim custos est castitatis necessitas; et illa vere pudica dicenda est, cui licuit peccare si voluit.

Hieronymus Stridonensis, *Adversus Jovinianum*, 1.47 (PL 23, col.277C).

Pars 4, Liber 6, Rubrica 9: De custodia et indagatione suspecte impudicitie mulieri (fol.116ra):

Theophrastus in aureolo tractatu de nuptiis. **Quid prodest diligens vxoris custodia cum vxor impudica seruari non possit: pudica non debeat. Infida enim custos est castitatis necessitas. Difficile custoditur quod plures amant. Ad minorem miseriam domini deformis habetur quam formosa seruatur: nihil tutum est in quo totius populi vota suspirant. Alius forma: alius ingenio: alius faceciis: alius liberalitate sollicitat: aliquo modo expugnatur quod vndique accersitur.**

Verum quid prodest etiam diligens custodia, cum uxor seruari impudica non possit, pudica non debeat? Infida enim custos est castitatis necessitas; et illa vere pudica dicenda est, cui licuit peccare si voluit. Pulchra cito adamatur, foeda facile concupiscit. Difficile custoditur, quod plures amant. Molestum est possidere, quod nemo habere dignetur. Minore tamen miseria deformis habetur, quam formosa servatur. Nihil tutum est, in quo totius populi vota suspirant. Alius forma, alius ingenio, alius facetiis, alius liberalitate sollicitat. Aliquo modo, vel aliquando expugnatur, quod undique incessitur.

Hieronymus Stridonensis, *Adversus Iovinianum*, 1.47 (PL 23, col.277C).

Pars 4, Liber 6, Rubrica 10: De modestia vxorum et dissuasionem vxorationis (fol.116rb):

Theophrastus in aureolo tractatu de nuptiis. Ad minorem miseriam domini deformis quam formosa seruatur: nihil tutum est in quo totius populi vota suspirant. Alius forma alius ingenio: alius facetiis: alius liberalitate sollicitat. Aliquo modo expugnatur quod undique accersitur.

Minore tamen miseria deformis habetur, quam formosa servatur. Nihil tutum est, in quo totius populi vota suspirant. Alius forma, alius ingenio, alius facetiis, alius liberalitate sollicitat. Aliquo modo, vel aliquando expugnatur, quod undique incessitur.

Hieronymus Stridonensis, *Adversus Iovinianum*, 1.47 (PL 23, col.277C).